

54. Hac agnita, queremus alium DOCTOR EM, quem sacra nobis
monstrant literæ.

55. Ex privatione enim erit appetitus.

56. Utpote cuius soboles est. Scal. Exerc. 317. sect. 2.

57. Et qui morbum ignorat, qui tandem Medicum quæret?

58. Nunc ad rem propriam. PROTESTOR SOLENNI MODO.

59. Nihil hic è Theologia admiscebo.

60. Nec tu, quisquis mecum vis colloqui, admisce.

61. RATIONIS (veræ & sinceræ) lumen & acumen sequar.

62. Hoc iudice causa suis stetq; cadatq; locis.

63. Theologica ergo ad alia bona cum pace jam dimittimus subsellias.

64. Ne quis insurret: & deinceps ait.

65. Hoc duce DEVVM quodammodo cognosco.

66. Et quidē QVOAD ESSENTIAM & QVOAD VOLVNTATEM.

67. QVOAD ESSENTIAM: ET EX DEFINITIONE, ET EX
EIVSDEM EVOLVTIONE.

68. DEFINITIO est tum NOMINIS tum REI.

69. NOMINIS: Explicat Voci tum ORIGINEM, tum SIGNIFICA-
TIONEM.

70. QVOAD ORIGINEM: Est illa LINGVÆ nobis vel MATER-
NÆ vel PEREGRINÆ.

71. MATERNÆ, GERMANICÆ. Dicitur Gott/ communis con-
sensu à voce gutt.

72. Quia tum ipse summè bonus est.

73. Tum, omnia, quæ ab ipso, bona sunt.

74. A summo enim bono simpliciter, non potest, nisi summum bonum in
quoquoq; genere aut ordine entium profici sci. Scal. Exerc. 249. sect. 3.

75. PEREGRINÆ: Et quidem tum GRÆCÆ, tum LATINÆ.

76. GRÆCÆ: Dicitur Θεος, nomine à variis varie deducto.

77. Quo in tamen allusiones saepius invenies, quam veras deductiones.

78. Audiamus tamen. Aliis est απὸ Ζεύ, quod est curro.

79. Vel: quod perpetua quasi reciprocatione in se ipsum currat, & sic
eterno cursu eternitatem continuet.

80. Quod & Poetæ veteres velut sub nube quadam aspicerunt.

81. Hi enim Saturnum liberos suos, quos ex Rhea progenuerat, devo-
rasse dicunt.